MORS
ET
VLTIMA VERBA
MAGNIFICI VIRI
SALOMONIS LVTKII
REIPVBLICÆ THORVNIENS.
SENATVS PRÆSIDIS
D. XXVI NOVEMB. ANNO M DC IIIC
OCCASIONE ORATIONIS
AD SERENISSIMAM PRINCIPEM
MARIAM CASIMIRAM
POLONIÆ REGINAM
SVB IPSO IN VRBEM INGRESSV
PVBLICO NOMINE
IN HANC FERE SENTENTIAM
QVANTVM RECORDOR
AB EODEM HABITÆ:

AVGVSTISSIMA HEROINA!

QVantum ſolatii adventus tuus ante hoc ſemeſtre nobis attulit, dum in tranſcurſu has ſedes, inqve iis D. IOHANNIS Baſilicam, inuſitato pietatis ardore colluſtrares. tantum nunc qvoqve lætitiæ percipimus, dum acropolin hanc, cum ILLVSTRISSIMO GENITORE TVO, Eccleſiæ Romanæ Purpurato, reviſere iterum hoſpitioqve ſacrare non dedignata ſis. Agnoſcimus devota mente geminatum hunc Maieſtatis ſplendorem: veſtram tutelam certiſſimumqve præſidium agnoſcimus. Atqve o utinam mihi facultas eſſet, intimos ſenſus excitæ huius ſedibus ſuis coronæ, ac devotos tibi pietatis impulſus, oratione enunciare! Melioribus utiqve, qvam ego poſſum verbis, diuturna beneficia AVGVSTISSIMI CONIVGIS, iam cœlo adſcripti, prædicatione circumferret. Neqve tamen omnis IOHANNIS III. invidia fatorum intercepta ſalus ac proſperitas eſt: Vos duæ Polonici cœli Caſtorum ſtellæ, Ledæ proles, ALEXANDER & CONSTANTINE, æqve nobis ac vicinæ Sarmatiæ, in mari diſcordiarum fluctuanti, benefica & ſalutaria eſtis ſidera! Vos animi virtutisqve paternæ hæredes æmuliqve felices .....

DIXIT & VIXIT! fallenteqve veſtigio, per læve ac lubricum pavimentum, caput civitatis ad Reginæ pedes provolvitur, nec vocem amplius reddidit. Qvid intueor, AVGVSTISSIMA? Tune ipſa manum applicas medicam, regiisqve pharmacis elingvi vocem reparare niteris? Tune langventi Conſuli ſalutari oleo vitam prorogare conaris? O REGINA, etiam poſt imperium AVGVSTA! Qvas tibi pro tanto rerum paratu reddemus grates? Vtinam NOSTER cœptam orationis telam pertexere potuiſſet, haut dubie, ſine aſſentandi ſpecie, ſapientiæ tuæ conſilia prope divina, reconditas regnandi artes, notitiam dignitatum, officiorum fructus, aliaqve munera tibi delegata, qvæ æqvabili iuſtitia ac ſapientia ita adminiſtraſti, ut ſexus imbecillitatem ſupergreſſa, virorum laudes exceſſeris, gratulabundus adduxiſſet. Nunc oculis civitatis ereptus ipſe, magna foret audacia, ſi umbraticus homo, & pulveri mathematico duntaxat incubans, laciniam ſuam purpuræ illius attexere: aut ignobili ſcripto, conſimile qvid effingere profanus præſumeret. Igitur, qvicqvid eſt heroicæ virtutis tuæ, NYMPHA POLONIÆ, id omne ſipario involutum, Gallis tuis atqve Italis, Latinorum muſis, Polonis atqve Germanis, qvorum lingvas diſſono plauſu expedite loqveris, ætatem in iis ut defatigentur, conſentiente gentium fama, ultro concedimus.

DIXIT & VIXIT! Hic iacet & tacet os Curiæ, oraculum Senatus, obvia facundia, omnium favor. nimirum ſilentium ori mors impoſuit, qvæ famæ non potuit. Exaruit lingva libera, os igneum, multarum influentiarum Præſes. O triſte præſagium! O imminentis exitii infallibile prognoſticon! Trepidate cives: nam tutela veſtra grandeqve præſidium adytis

tis

tis exceſſit, & ſpes noſtras votaqve omnium ſecum traxit. Luge muta & elingvis curia: nam ſvada tua in alia iam dicendi officina numerum abſolvit. non de fictis verisqve litibus, qvibus in foro qvi teruntur, qvotidie contra conſcientiam aliqvid ſtatuunt, multumqve malitiæ, qvamvis nolint, fatente Plinio, addiſcunt, ſed de vera animi tranqvillitate perenniqve beatiſſimorum gloria.

VIXIT & DIXIT pro aris & Numinis reverentia, probe ſciens, in adiutorio Altiſſimi, conſiliorum auſpicium, progreſſus, finem ſita. Neqve enim egregii qviddam frugiferiqve conabitur qvisqvam, niſi luminum PATER ſuam illi adſpiraverit gratiam, viasqve qva ſit eundum aperuerit. Qvam aſſiduus ille ſacrorum cultor? Qvam freqvens divini verbi auditor? Qvinis ſenisqve vicibus in hebdomada ædem ſacram viſitavit: vatum doctrinam coluit, eccleſiæ Antiſtites dilexit, ac qva potuit ſemper adiuvit.

VIXIT & DIXIT pro ſalute publica: ex qvo enim excelſum illud dignitatis culmen, præſidis munus, trepide cunctanterqve, Plinii exemplo adierat, id ſedulo egit, ut corruptiſſimos civitatis mores corrigere, periclitantem annonam fœcundare, inclinantemq; civium rem, ſua cura & induſtria allevare poſſet. diſſimillimus iis, qvos Tacitus in Annalibus commemorat, qvi politica torvitate & prophaſi, commodi & ſalutis publicæ titulo, tanqvam larva abutuntur, ac pro re nata, qvicqvid expedit, in partes ſuas pertrahunt. Ad publica etiam Comitia, qvoties ſuper re ardua Civitatis conſultandum dicendumqve, qvi deligeretur mittereturqve maxime, ſolus propemodum NOSTER digniſſimus omnium viſus erat: qvod & publicum ius Regni noſſet, & ſtatuta Provinciæ, a tot retro annis, ſcite evolvere, memoria & iudicio valeret.

VIXIT & DIXIT pro Aſtræa, cœleſti Virgine, nec unqvam Libram tranſiliens, in Scorpionem deflexerat. In hoc uno ab æqvitate & iuſtitia receſſiſſe videri poterat, cuiqve dederat qvod ſuum erat, ſibi nihil. Non poterant eum expugnare manus, etiam armatæ, etiam cataphractæ: nunqvam enim orbes amavit luteos, nec argenteos accepit, plumbeos qvod inaurent iudices, ut ſi vel maxime in iure reddundo non errent, * *peccent* tamen graviſſime, qvoties cum Tiberio novum ſemper ius callide reperiũt.

VIXIT & DIXIT pro Aretologia, humanitate cumprimis & manſvetudine. inde virtutis huius intime memor, erga cives pariter ac peregrinos, dictis factisqve talem ſe compoſuit, ut gravitatem eius cuncti reverenter haberent, nec illi, qvod eſt rariſſimum, aut facilitas autoritatem, aut ſeveritas amorem diminuerit. Noverat qvippe, faſtum in faſtigio, etiam amicis faſtidio eſſe: ac eum, qvi uni ſibi arrogat omnia, viciſſim aſpernari

ab

* Qvi ſciens peccat, errare non dicitur. *A. Popma diff. verb. h. v.*

ab omnibus. Hinc in omni vitæ colore, nihil ad ſupercilium aut oſtentationem, ſed comitatem & modeſtiam referebat. de cuius virtutis ſtudio plura dicerem, niſi Platonis illud: *haut qvaqvam difficile Athenis Athenienſem laudare*, ab incœpto me retraheret.

VIXIT & DIXIT pro Apolline profugo, & literis pereuntibus, ipſe literatiſſimus ſingularis, omnisqve divini & humani iuris peritiſſimus; diverſarum inſuper gentium lingvas callens. Qvantus in dicendi artificio, & Poetica facultate fuerit, Orationes eius & Epigrammata, auguſtioris potiſſimum argumenti, liqvide oſtendunt. Heu, qvam indulgentiſſimo affectu, oblatas ſibi nuper a nobis inſtantis anni Ephemerides ſuſcepit! mirum dictu, qvam indoluerit, nugas, vieta rancidaqve ſophiſmata, auguſtæ Matheſi, non a Regibus, horum enim eſt propria, ſed Therſitibus ventoſis, fatali præiudicio præponi ſæpius ac præferri. Maleficos ſiderum eſſe aſpectus dicebat, qvi orbi Mathematico annum peſtilentem minantur, niſi DEVS ex machina leniorem his muſis adſpiraverit auram!

VIXIT & DIXIT pro domo ſua, qvale qvid apud veteres de Cicerone legitur. Coniugem rari exempli fœminam, Fanniam alteram, felicemqve liberorum matrem, complectebatur ſancte, lectiſſimumqve filiorum par, ſibi qvam ſimillimum videre præoptabat.

Et ſic VIXIT & DIXIT! imo adhuc vivit & dicit, vereqve perorare cœpit, poſtqvam ſiluerat. Nunqvam maiorem ſe ſtitit Oratorem, qvam ubi conticuerat: Tullio factus diſertior, conſummatiſſima lingva omnem orationis maieſtatem abſolvit. Nemo hoc Oratore taciturnior, nemo vocalior: labia compreſſa aiunt: μεγάλη χάρις αὐτῷ. Os elingve ſonat: ἄῤῥητα ῥήματα. Hic vere Xenophontis illud: καλῶς νοεῖν, καὶ λέγειν, καὶ πράττειν, inenarrabiliter profatur. Ex Oratore profano, factus eſt ſacer, & eloqventiam, qvam vivus capere non poterat, mortuus didicit. Orator perfectus, DEO fere par, cum nihil amplius potuit dicere, ex fine probando orationem, DIXIT OMNIA.

At Tu regnorum Rex, præſes & cuſtos civitatum, cœleſtis PATER, conſtringe hoc corpus patriæ patrum nexibus firmis, ne per mortes aut alia vi externa porro laxetur. Concordiam tua gratia ſtabilito, & conſiliorum ſucceſſum ſpiritu tuo urge, nec bene mereri de nobis unqvam deſine. Inprimis, DOMINE, vicarium interea Præſidis munus obeunti vires & facultatem regendi civitatem iuxta ac muſarum ſedem, ex præſcripto voluntatis tuæ largire. Suggere ei conſilia, corrobora vim animi corporisqve, ne qva hæſitet, ne qva ceſpitet Pater grandævus, ſed qvicqvid reſtat incommodæ ſolicitudinis, cum DEO & die, tollat qvam exoptatiſſime. Fac tandem, GVBERNATOR, ut ſucceſſorem virtutibus parem videamus, nullum improbis artibus Capitonem, aut opertum blanditiis falſumqve riſu Meſſalam Valerium, ſed divinorum cupitorem, probitatis exactorem, fidum in dictis, conſtantem in factis, decus civium, tutelam afflictorum!

Ita vovet, ita ſperat

PAVLVS PATER, Mathem. Prof. Publ.

✽(o)✽